

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0014

0012

0018

0008

3

stabunt in Jerusalem post eorum obitum. Invitus ego vellem  
esse peregrinus in Jerusalem eis absentibus. Unus homo est  
praefatus Frater Johannes. Alter est Elphahallo, Sarracenus,  
Calinus minor, bonus homo, de quo suo loco dicam.

0023

0003

0063

Igitur cum processio esset ordinata et jam perfecta et  
finita eo modo, quo dictum est fol. 110 A., praedictus vir  
Frater Johannes una hora ante noctis medium convocavit ad  
se omnes peregrinos nobiles militiam assumere volentes in  
ecclesiam Golgathanam, hoc est, in chorum, ubi est mundi  
medium, ut patet fol. 117 A., et collocatis ante se comitibus,  
baronibus et nobilibus incepit eis jura militiae exponere,  
Et primo prohibuit, ne quis ad militiam suscipiendam praesu-  
meret accedere, nisi nobilis a quatuor progenitoribus proximis  
esse probetur, et quod sit sufficientis substantiae, justus, non  
infamis, non notatus de aliqua infami inhonestate. Protestatus  
est autem, quod si aliquis accesserit non idoneus, et percus-  
sioni se subjicerit, quod percussio illa non teneat, nec talis  
pro milite quovis modo habendus sit, sed pro illusore et  
derisor et nobilium contemtore. Demum hortatus est eos,  
ut cum timore Dei et cum reverentia accedant ad suscep-  
tionem militiae, et Papae ac Imperatori, quorum auctoritate  
hic honor eis confertur, in omnibus obedient, ecclesiam ca-  
tholicam defendant, et ejus jura manuteneant; episcopos,  
monachos et quosque religiosos et omnes ecclesiasticos,  
et loca eorum et bona protegant et tueantur; rempublicam  
pacifice gubernent, et pupillis, viduis, advenis et pauperibus  
justitiam faciant, et omnes fideles turbatos consolentur prae-  
stando adjutorium, dum invocati fuerint. Insuper prohibuit,  
ut cum infidelibus nullo pacto foederarentur, sed eos, quantum  
possibile fuerit, de terris Christianorum longius ejicient, et  
maxime, ut omni conatu ad hoc adspirent, quatenus terra  
sancta et sanctissimum sepulchrum de manibus infidelium  
eripiatur, et reges, principes, duces, comites, marchiones  
et caeteros armatos ad hoc inducant, ut terrae sanctae sub-  
veniatur quantocius, et in ejus succursum omnes animent et  
necessitatem et miseram subjectionem sepulchri fidelibus inti-  
mare studeant omni cum diligentia, et quod ipsimet omni hora  
parati sint procedere pro defensione terrae sanctae

0113

0513

1013

Ende

Anfang

1 \*